



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Eruditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

Quòd animæ salus pendet ex gratia & libero arbitrio: sed opera meritoria  
princip alius sunt ipsius gratiæ, cuius præsentia per tria potest cognosci.  
Cap. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

rum autem arbitrium natum est seipsum mouere secundum actus in quos de se potest: sed cum adiutum est, & informatum gratia, tunc seipsum excellentius mouet: sicut pluma madefacta propter grauitatem aque citius descendit, quam sicca. Et sic gratia mouere dicitur liberum arbitrium: per quem etiam modum amor mouere dicitur hominem ad opera ardua & magna, etiam delectabiliter facienda. Secundo modo dicitur gratia mouere liberum arbitrium, quia gratia est sicut quaedam influentia procedens à luce superna, quæ semper habet coniunctionem cum origine sua, sicut lumen vel radius cum suo principio, id est, rota solari. Et quia semper origini suæ coniungitur, ideo non tantum attribuitur eidem operatio ratione subiecti in quo, sed etiam ratione subiecti à quo. Nam sicut lumen solare non solum operatur cum aère, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione continuationis à suo fonte: sic gratia non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam ipsum liberum arbitrium mouet, ita quod gratia proprium est instrumentum Spiritus sancti ad mouendum liberum arbitrium.

*Quod animæ salus pendet ex gratia & libero arbitrio: sed operametriciora principalius sunt ipsius gratiæ, cuius præsentia per tria potest cognosci. Cap. XVIII.*

**P**lura es amica mea, suavis & decora. Bernardus libro de gratia & libero arbitrio: Sine gratia & libero arbitrio salus fieri non potest. Deus enim auctor salutis est, & liberum arbitrium tantum capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere uale nisi liberum arbitrium: nec ergo salus fieri potest absque consensu tam gratiam accipientis, quam dantis, & sic gratiæ operanti salutem cooperari debet liberum arbitrium consentiendo. Consensus autem voluntarius, quo discernimur à bestiis, est habitus animi liber sui, qui nec cogitur, nec extorquetur. Non enim est consensus, nisi voluntarius. Vbi ergo consensus, ibi voluntas: & ubi voluntas, ibi libertas. Et hoc est liberum arbitrium, quod utriusque nos beatos efficit, vel miseros per consensum boni vel mali. Nam ille consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis (quod secum semper & ubique portat) indeclinabile iudicium, non incongruè dicitur liberum arbitrium. Ipse liber sui propter uoluntatem, ipse iudex sui propter rationem. Et merito libertatem comitatur iudicium, ut ubi peccet, quod liberum sui est, ibi se iudicet. Sola ergo gratia fit in nobis bonum meritorium, quæ præuenit & sanat liberum arbitrium.

Consensus  
voluntarius.



Iacob. 1.  
Gratia do-  
num est, si  
ne quo ni-  
hil possu-  
mus.

Deus quid,  
& quomodo  
operatur in ho-  
minibus.

1. Cor. 10.  
Ioan. 15.

Negligentia  
nostra cul-  
panda, non  
gratia.

Et ex ipso arbitrio procreatur in anima bonus affectus, siue bonus mo-  
tis motus. Hinc dicit Gregorius, quod Deus cor humanum destruit,  
cum derelinquit, edificat autem, cum implet. Unde Iacobus vocat eam  
*datum optimum, & donum perfectum*, in Canonica sua dicens: *Omne*  
*Patre luminum*. Illud enim donum perfectum est gratia, per quam De-  
us omnipotens predestinatos vocat ad salutem: quia necesse est, ut  
spiritus rationalis fiat particeps influentiae spiritualis, si debeat fieri  
dignus aeternae beatitudinis. Ad influentiam autem gratiae per se per-  
uenire non potest, cum hoc non sit secundum limites naturae, sed tan-  
tum secundum influentiam largitatis diuinae. Ne homo sine gratia  
per propria industriam Deum potest accedere, nec quicquam boni va-  
let cogitare, quanto minus operari? Dicit enim Bernardus, quod haec  
tria, scilicet bonum cogitare, velle, perficere, Deus operatur in nobis.  
Primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Nam  
immittendo bonam cogitationem nos praenit, immutando malam  
voluntatem per consensum iungit ministrando consensui facultatem  
per apertum opus foris, intra nos opifex innotescit. Unde bona vo-  
luntas est instrumentum, Spiritus sanctus est artifex. Artifex ergo  
primò instrumentum operatur, deinde per instrumentum operatur.  
Sic Spiritus sanctus primò bonam voluntatem operatur, secundò per  
voluntatem operatur bona voluntate consentiente. Hinc est quod ope-  
ra meritoria principaliter sunt ipsius gratiae, tanquam artificis, & non  
bonae voluntatis, tanquam instrumenti, ut in bonis operibus homo  
non in se, sed in Domino discat gloriari, qui dicit: *Sine me nihil po-*  
*testis facere*. Sine eo namque pauperes sumus & miseri, multa quidem  
desiderantes, sed modica perficientes. Siquidem ex propria negligenti-  
a frigida remanent corda multorum querulantium sibi deesse gra-  
tiam, cum magis gratia ipsa conqueri habeat, se non habere facto-  
res bonorum operum. Vix enim est aliquis, ut dicit Bernardus, qui in  
his, quae Dei sunt, experiri velit quid possit, etiam quod promptissime  
potest secundum carnem vel seculum. Multi namque desiderium san-  
ctitatis habent, sed ea, quae sanctitatem efficiunt, nullatenus habent.  
Felices autem, qui perueniunt ad humilitatem cordis, & strenuitatem  
boni operis: quibus peruenitur ad gratiam Spiritus sancti. Felices, qui  
ad singula dona gratiae redeunt ad eum, in quo est plenitudo gratiarum:  
cui dum pro acceptis nos non ingratos exhibemus, locum in nobis  
gratia



gratie facimus, ut adhuc maiora percipere mereamur. Præsentia vero diuinæ gratiæ (præsertim in perfectis) per tria potest etiam experimentaliter coniecturari, quamuis homo nescit an amore vel odio dignus sit certitudinaliter & finaliter. Quæ tria tanguntur in Psalmo: *Cum inuocarem, ubi dum in persona ignorantium queritur: Quis ostendet nobis bonæ?* id est, quis nobis dicet, unde coniecturare possumus, quod ex bonis operibus, quæ facimus, accepti sumus Deo? Protinus respondens denotat tria esse, per quæ coniecturare possumus nos esse in gratia, quando veraciter sunt in anima. Primum ponit in vi rationali dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine,* quod scilicet lumen perficit vim rationalem luce Sapientiæ, sic ut nihil penitus desit in vlla scientia ad salutem necessaria. Sentit enim anima sancta & perfecta lumen quoddam veritatis radiantis super vim rationalem, in quo ratio mirabiliter delectatur, quia tribuit illi quandam experimentalem discretionem virtutum, & omnium agendorum, quæ discretio conuenit per omnia sanctorum Patrum dictis & exemplis. Secundum vero ponit in vi concupiscibili, cum subiungit: *Dedisti letitiam in corde meo.* Quæ letitia spiritualis est, perficiens vim concupiscibilem, & degustare faciens cibum spirituales. Tribuens, inquam, saporem omnis boni in agendo, cauendo, & etiam in sustinendo. Nam sicut gustus bene dispositus, nescire non potest dulcedinem sibi coniunctam: sic & anima bene disposita, non potest non sentire diuinam dulcedinem sibi coniunctam. Sed sensus diuinæ dulcedinis est per gratiam, & sic potest coniecturare quod habeat gratiam. Et si queris: *Quis sit ille cibus spiritualis?* breuiter respondeo, quod multiplex est, sed prout sufficit præsentī speculationi, tunc est iustitia, prout est virtus communis, scilicet declinare à malo, & facere bonum. *Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Cum enim sic impletur nostrum concupiscibile fonte iustitiæ, quod eam omnino ardentissimè desideremus, & ea penitus repleamur, quod propter illam consequendam omnia facienda, omnia cauenda, & etiam omnia sustinenda, redduntur præiosa *super aurum & topazion, & dulciora super mel & fauum,* signum est utique præsentis diuinæ gratiæ. *Beati namque qui sic esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur,* cum nullas alia præter huiusmodi iustitiæ animæ desiderium potest implere, vel animam beatificare. Tertiâ deniq; ponit

Præsentiam  
gratiæ Dei  
cognosci.  
Ecl. 1.9.  
Psal. 4.

Rationalis.

Ibidem.  
Concupiscibilis.

Iustitiæ cibis.

Matth. 5.

Psal. 18.  
Psal. 118.  
Matth. 5.



**Ira**scibili. in vi irascibili, cum dicit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*  
**Psal. 4.** Quae nimirum pax perficit irascibilem, dum perducit ad affectatam patientiam. Quietat enim animam in omnibus etiam aduersis, ea complectens summo desiderio, quasi prospera, cum Apostolo dicente: *Repletus sum consolatione. super abundo gaudio in omni tribulatione mea.* Et haec est gratia omnium perfecte contemplantium, ac praecipue perfectae charitatem habentium, quorum est etiam sustinere martyrium delectabiliter. Nam summo bono perfectissime & sincerissime per amorem inhaerentes, perfecta fruuntur cordis tranquillitate, & pace diuina replentur cum summa iucunditate.

*Quod gratia gratum faciens est duplex, scilicet increata & creata: & qualiter utraque anime coniungitur, & in ea mira operatur. Cap. XXI.*

**Spiritus sancti operatio in anima.**

**P**ulchra es amica mea, suavis & decora. Spiritus sanctus secundum Bernardum, cor quod per gratiam intrat, si peccatis pollutum fuerit, ad poenitendum & confitendum inducit, nec quicquam maculosum residere patitur in conscientia, ut eo expeditius affectum erigere valeat ad diuina: deinde vires administrat ad bona prosequenda: Mouet enim memoriam, bona suggerendo in cogitationibus sanctis, quibus ignauiam nostram torporemque repellit. Quoties igitur cogitationem huiusmodi in corde senseris, da honorem Deo, & age reuerentiam Spiritui sancto, cuius vox sonat in auribus tuis. Ipse enim loquitur *iustitiam*, operatur peccatorum remissionem, & *ambulare* facit sollicitum cum Deo suo. Docet etiam rationem, scrutans abdita peccatorum & intentionum cordis, nec minimam paleam intra cordis habitaculum residere patitur, quin statim igne subtilissimae circumspectionis exurat. Spiritus ille dulcis & suavis. Mouet denique voluntatem, eam erigens & dirigens, ut ipsam veritatem intelligere, & feruenter diligere, ac efficaciter adimplere possimus. Nam quae per naturam difficilia nobis vel impossibilia videntur, per suam praesentiam leuia facit, ac prope nulla. Spiritus enim sanctus est spiritus dulcis, amara dulcorans, infirma roborans, aspera planans, corda purificans, & quicquid in seculo nequam difficile videtur & angustum, leue facit & latum: ut quod impossibile tibi videtur per naturam, facile videatur per gratiam, in laboribus, vigilijs, maledictione & persecutione hominum, & ut in omnibus obseruarijs regularibus hilariter incedas, sicut in omnibus di-

**Psal. 118.**